



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 113. Reconciliato Cæsarem inter & Mathiam Regem Pragæ stabilita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. diploma supremæ Curiæ Patribus offe-
 A. C. 1610. runt, supplices, ut illud ad acta re-
 ferretur: Responsum est eis, factam
Joann. Ser-
ran. Hist.
Franc.
pag. 902.
 quidem esse scholas aperiendi faculta-
 tem, ea tamen lege, ut intra semestre
 in corpus Universitatis Professores co-
 optarentur. Verum obstabat Sorbona,
 cuius Doctores die decima sexta Se-
 ptembris unanimi consensu decernebant,
 huic favori, omni conditione sublata,
 nomine totius Universitatis obserendum
 esse. Interim Regius Senatus jusserat,
 ut litigantes partes cum suis Caussidi-
 cis comparerent. Præstituta igitur die
 conveniunt omnes, & quidem Sorbo-
 nici Rectoris partes trahebatur Faculta-
 tis Decanus, aliique Doctores unacum
 Dacolio Advocate. Ex altera parte
 erant PP. Cotonus & Montholonijs Je-
 suitæ unacum Siburio Caussidico: Hi
 sexta jam vice convenere, quin hac in
 cauffa quicquam decideretur.

§. CXIII.

Reconciliatio Cæsarem inter E^g Mat- thiam Hungariæ Regem Praga- stabilita.

Slavata
chron. Khe-
venhill.
part. VII.
Calmet hist.
univ. l. 150.

Recrudeſcebant interim indies conten-
 tiones inter Rudolphum Cæsarem
 & Matthiam Hungariæ Regem. Hic
 enim non modo Bohemiæ Regnum, sed
 ipsam

ipsam etiam Imperii coronam ambire Sæc. XVII.
 videbatur: Leopoldus quoque Archi- A.C. 1610.
 dux, connivente Imperatore exercitum
 suum, quem occasione Juliacensis ex- ^{Merc. Gal-}
 peditonis collegerat, Passavium Bohe- ^{lobelg. t. 6.}
 miæ vicinum oppidum traduxerat, non ^{p. 537. 585.}
 i. 3. & 4.
 sine ingenti civium formidine: Vere- ^{Bare. Hist.}
 bantur enim Protestantes, ne Inquisi- ^{gen. d' Al-}
 tionis tribunal invehernetur, aut con- ^{lemag. t. 9.}
 cessi ipsis favores revocarentur: Con-
 fluxerant quoque Pragam Mense Mayo
 ad indictum Conventum utriusque par-
 tis Principes, atque inter eos præci-
 pue Moguntinus, Coloniensis & Saxo-
 nicus Electores per Legatos suos, nec-
 non Maximilianus & Ferdinandus Ar-
 chiduces, præter Brunsvicensem Du-
 cem & ambos Hassiæ Landgravios. Eo
 etiam suum Oratorem decreverat Ba-
 variæ Dux. Actum est inter eos die
 quinta Maij de reconciliacione Cæsaris
 cum Mattha Rege, de Successione Re-
 gis Romanorum de compositione mo-
 tuum Juliacensium, & demum de cauf-
 fa Donawertensi: circa hanc post va-
 rias ultro citroque missas literas tan-
 dem conventum est, quod Bavariæ
 Dux hanc urbem pristinæ redderet li-
 bertati, expensis in hac expeditione
 factis prius Duci compensandis. Circa
 Juliacensem Ducatum fuerat decretum,
 quod hic ab Electore, aliisque Saxonie

L1 4

Prin-

Sæc. XVII. Principibus unacum Brandenburgensi &
A. C. 1610. Neoburgensi possideatur, atque admi-
nistretur, salvo jure investituræ a Cæ-
fare Saxoni concessæ: hæc tamen con-
ditio non minus quam Principum con-
ventus hoc anno Coloniæ habitus effectu
caruit reclamante Neoburgico: Interim
Henricus Julius Brunsvicensis Dux totum
in eo studium contulit, ut firma pax
inter Augustissimos Fratres sanciretur:
nec defuit ejus conatui prosper even-
tus; his enim conditionibus reconcilia-
tio feliciter peracta est. I. Matthias Cæ-
farem pro summo Imperatore, Bohe-
miæ Rege, Moraviæ Marchione supre-
mo & Domus Austriacæ Capite haberet.
II. Eadem Rex quotannis bis mille ur-
nas vini & quinquaginta florenorum
millia submitteret. III. Nec ipse nec
præfatæ Provinciæ, inscio Cæsare, se-
dera inirent. IV. Intra unius Menis
spatium copiæ utrinque dimitterentur.
V. Quotiescumque contra Turcam bel-
lum gerendum esset, illius Moderator
Cæsar haberetur. VI. Etiam Germa-
no milite Hungarica propugnacula de-
fendenda permitterentur, pro more
suppeditatis Cæsari ad horum defensio-
nem necessariis. VII. Mutuam sibi in-
vicem in reprimendis rebellibus operam
conferrent. VIII. Rex & Fratres &
agnati reliqui Tyrolensem Comitatum
Cæsari

Cæsari totum permetterent, utque omnibus venia daretur, maximopere ad laborarent. IX. Matthias per legatum flexis coram Rudolpho fratre genibus veniam ante biennium gestorum, & ducti per tumultum in Bohemiam exercitus deprecaretur: Jamjam Maximilianus & Ferdinandus Archiduces unacum Viscontio Comite Matthiæ Legato in eo erant, ut ad Cæsar's alloquium admissi de genibus veniam pro Rege peterent: Ast ut erat generosa Rudolphi mens, clementia victus, sua ipse manu deprecatorias Matthiæ literas lacerabat, dicens, *nolo, ut exemplum exstet, quempiam de Austria Domo eo devenisse, ut Cæsarem flexis genibus coactus fuisset deprecari.* His dictis quasi omnis offendæ immemor cum illis de rebus aliis collocutus est. Cum autem inter Principes conventum esset, ut hæ conditio-nes ante Septembribus finem utrinque acceptatae chirographis eorum firma-rentur, hinc illæ etiam die quinta ejusdem Mensis ab Electoribus & Principibus Pragæ congregatis ratæ habebantur. Verum hæc Fratrum concordia mox evanuit, Passaviensi tumultu postea exorto.

Sæc. XVII.
A.C. 1610.